DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

1653

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XVI. MARTII. M. DCC. XXIV.

M. JOANNE BAPTISTA CHOMEL, MEDICO REGIS ORDINARIO, ET REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ SOCIO, PRÆSIDE.

An sint sanitati utiles animi motus?

EX sapientiâ quæ elucet in corporibus animantium, omnia à supremo Conditore fuisse simul in primo rerum exordio fabricata, jure conjicere est. Est istud potentiâ divinâ systema dignius. Humanum corpus machina est hidraulico-pneumatica, cui motum sanguis & spiritus, seu aër liquidis inclusus atque inter solidorum interstitia interceptus, impertiuntur. Hujus machinæ tota posita rextura est in fibris & tubulis. Medulla spinalis per aliquot dies in aquâ macerata, fibrillis innumeris caudam equinam imitatur; Cerebrum ipsum ope microscopii, staminibus sibi intertextis instructum esse videtur, quæ sunt minimi canaliculi, vi resiliendi præditi: ex illis cartilagines, musculi, membranæ, vasa, incernicula, glandulæ, pro situ, texturâ, figurâ atque inter se cohæsione aptantur. Inter ista organa, alia vectium, alia cuneorum, rotularum, trochlearum, cochlearum, ligularum, funiculorum & elaterum vices obeunt; alia ponderis, alia potentiæ, alia hypomoclii officio defunguntur: ab ipsorum æquilibrio repetenda motûs in corpore vehementia & duratio. Institutus est omnis iste apparatus succis elaborandis & convehendis à centro ad peripheriam, à peripheriâ ad centrum. Scrutare sensationes natas ex occasione motuum corporum externorum: illarum organa sunt fibrillæ tenuissimæ è medio cerebro oriundæ, diffusæ in omnia membra, quæque ad extimas partes illorum appellunt. Tacto & perculso uno fibrillarum extremo, alterum impetu tremulo & veloci spirituum quibus illæ turgent, movetur; hunc illarum tensio motum adjuvat: pungatur membrana cui nervi inseruntur, corpus extemplo motibus epilepticis corripitur, vellicatâ actiùs internâ membranâ nasi, pectus agitur in spasmos & sternutationem ope nervorum illi insidentium & nervi intercostalis cohærentiâ. Porrò nihil anima percipit, nisi motus fibratum externè concussarum ad cerebrum deferatur; percipiet autem, licet extrema externa fibrarum quiescant, cùm interna commovebuntur, ut accidit in somniis: brachio imminutus queritur se in illo dolore torqueri; hinc animæ cum corpore communio; sensationes, imaginatio, memoria, titillatio levis fibrillarum parit voluptatem, gravis dolorem. Anima istis commotionibus afficitur, ut noxas externas repellat: nequaquam verò motibus cordis, pulmonum, viscerum: ideò nihil anima præstat in dirigendis motibus solidorum & liquidorum, in quibus vita posita est. Belluæ absque animâ nobis vivunt feliciùs; morbis corporis compagem dissolventibus, occumbimus, animâ illæsâ; si tamen isti motus quibus vivimus, absque lege ferantur, licet illos, dum placidè exeruntur, non percipiat, vim habet suæ rationis imperio componendi, ne subvertant machinam, & functionum integritas labefactetur. Hic est tenor vitæ, hic ordo pulcherrimus, dum stat & viget, dicitur sanitas.

IN tubo æqualis ubique diametri, nullam aqua præterfluens, ab illo patitur motûs mutationem, sed tantùm à loco declivi, aut ab antliâ premente. Si decurrat ab angustiori in patentiorem, & patitur contractionem in angustiori, & fertur citatiori velocitate, ut illâ, compensetur angustia. Sic in angustiori, eadem potest liquidi quantitas coerceri, quæ par sit replendo diametrum tubi majoris; sed in hoc, nec contrahitur, nec eâ sensili velocitate fertur, quâ rapitur in priori; imo vix moveri videtur, licet in utroque tubo eadem sit motûs quantitas, & egrediatur eâdem quantitate ex tubo majori quâ in illum influxit per tubum minorem; alioqui tota machina hydraulica brevi corrueret; sed eò magis insensilis est ille motus, quò capacior est excipiens alveus. Hinc, tardiùs per venularum & arteriolarum propagines sanguis, quàm in ipsarum caudicibus, progredi videtur; rami enim simul collecti, sunt truncis suis capaciores; gravem aliunde sanguis à majoribus in minora vasa decurrens, jacturam patitur, secretionibus, insensili transpiratione, &c. Vasorum ergo quibus deferendi & referendi vices concessæ sunt, amplitudo, æquâ sibi ratione, vel in re, vel liquorum pernicitate respondent. Hâc arte, quæ materia sanguis futura est, ea tam capaci alveo fluit, qui par sit cæterorum tubulorum diametro: jactæ in hepar venæ portæ rami numerosi, cavæ amplitudinem æquant; cava ipsa, aortæ majori æqualis est, imo ipsam superat: sunt enim arteriis venæ paulò ampliores; sed sanguinis per arterias fluentis, velocitate majori, inæqualis ista ratio compensatur, & ventriculi dextri cordis amplitudo major amplitudine sinistri, eodem hujus liquoris motu, in hoc quàm in illo, velociori. Illa nisi providè & sagaciter fuissent instituta, citò animal extingueretur, represso circuitu sanguinis. Ratio mechanica partium ex quibus liquida constant, non minus est vitæ necessaria. Dissolvat penitùs alimenta fermentum acidum volatile ventriculi, sales ipsorum vindicet in libertatem, benignam promoveat fermentationem, & benè se habebit homo: secus erit si pituitâ viscidâ irretiatur fermentum; ructibus acidis, vultûs post pastum inflammatione, spirandi difficultate, gravitate stomachi ac doloribus, &c. conflictabitur. Chylus balsamo sulphureo-salino-volatilibili, factus fluidior, absolvitur, acidum ejus manifestum, infestum toti corpori, præter ventriculum, mitigatur, involvitur; lactei coloris est ob permixtum succum pancreaticum stypticæ aciditatis. Lac sulphuris ipso sanguine rubedinis intensioris, acidis injectis albescit. Suscipit sanguis à bile prima vividi coloris rudimenta: succo pancreatico crassæ chyli partes sensim coagmentatæ, præcipites aguntur. Hæc si se ritè habeant, immunis erit homo à morbis intestinorum malo hypocondriaco, pungente calore, inflammationibus, abdominis erosionibus, doloribus colicis, dorsi cruciatibus, flatibus, ictero, cachexiâ, &c. quæ nascuntur à chyli acido, nimis evoluto. Ex isto laudabili chylo fiet sanguis volatilis, sulphureus, spiritibus turgidus. Siccus sanguis animalium calidorum in prunas ardentes injectus, cum strepitu, ceu pulvis pyrius, ignem concipit; frigidorum verò, torpedinis, echinorum, ranarum, serpentum sanguis, idem non præstat. Repetas ergo calorem sanguinis à sulphure & vario salium conflictu. Sanguis confectus ad alluendum corpus, nutriendum, & fovendas ejus functiones, per illud, machinâ quæ cor dicitur, diffunditur, officio antliæ prementis & aspirantis defungente. Vena cava tubus est antliæ in aquam immersus, valvulis tricuspidalibus, velut epistomio, sanguinis ventriculum dextrum cordis subeuntis, regressus cohibetur. Duo ventriculi & corpus ipsius antliæ, ut alveus, excipiunt liquorem, major arteria in morem superni siphonis hydraulicæ machinæ, pleno gurgite hunc emittit: deinde canaliculis innumetis, instructis valvularum artificio, velut epistomiis, in omnes & ultimos recessus corporis atque amfractus infusus, nocivis particulis per cutis incernicula, in auras evanescentibus liberatur.

HÆC ratio est integræ sanitatis; labefactatur naturâ deflectente ab isto tramite. Fovent tam sanctè constitutas leges, animi παθήματα. Ut corpus animæ, ita anima corpori impertitur affectus suos. Rectè descripseris *animæ perturbationes*; perceptiones, sensus, commotiones oriundas à spirituum impetu vehementiori, quorum influxu perenni mutuantur robur & fomitem. *Amor sui*, omnium est παθημάτων fons & radix. Anima mutuo commercio cum corpore, moribus organorum, sensiles excipit commotiones. Fibræ nerveæ membranarum, musculorum ad rationes mathematicas tenduntur ad consonatiam (*unisson*) instar fidicularum musici instrumenti. Omnes in anima exoriuntur affectus, amor, odium, lætitia, desiderium, tristitia, &c prout remissiùs, vehementiùsque funes isti percutiuntur. Si graviter feriant objecta externa, aut lancinent acriter, dolor, tristitia, tœdium, odium, &c. nascuntur. Si jucundâ titillatione blandiantur, amor, desiderium, lætitia, spes, &c. concitantur. Influxus autem spirituum quibus tota machinæ compages agitatur, eò fit uberior & celerior, quò majus bonum sibi fuisse objectum autumat anima, quò ad illud consequendum conjicit viam futuram esse difficiliorem. Tum refluunt spiritus in nervos omnium viscerum, ut illa, commotionibus animæ fovendis, liquores utiles suppeditent; vel ut anima citò potiatur objecto jucundo, vel ut protinus fugiat ab ingrato. Hinc conficitur solis tensionum, vibrationum, vellicationum, concussionum, percussionum, id est motuum discriminibus, hoc gratum, illud injucundum; hoc utile, illud noxium ab anima deprehendi: hæc tacitè judicat hoc esse prosequendum; illud à se removendum. Sonorum quos edit instrumentum musicum, varietatibus, animæ perturbationum varietaets, & nascendi modo s similes jure dixeris. Fidium chordæ tractæ ad aliarum fidium concentum, his perculsis, vel intactæ resonant solâ concentûs ratione funes corporis, imprimis nervi ita se funibus musicis accommodant ut trahantur ad eundem concentum. Hinc omni commotionum specie rapitur anima, si perita manû fides percutiantur; hinc bellicis instrumentis musicis milites, ipsi equi fiunt animosiores: hinc meritò advertunt scriptores, morbos deploratos non raròmusicis instrumentis fuisse sanatos, cujus miraculi in caupone ipsi testes sumus. Norunt omnes eâ solâ ratione, tarentulæ venenum posse exhalare. Idem ferè sensuum internorum est mechanismus. Extrema interna funium nervearum, spiritibus, id est aëre quo turgent, eodem ritu agitantur, sed remissiùs, quo perculsa fuerant à præsente objecto externo. Hinc recordatione, anima, præterita revocat; hinc imaginatione adjunctâ præteritorum, ut præsentia speculatur, & pingit istorum imagines, sed fugaces, ut nisi frequentiùs refricentur, brevi lapsu temporis penitus obterentur, quòd alio spirituum influxu, aliâ ratione nervi inflectantur. In somniis dormientium, delirantium, phreneticorum vanæ finguntur *species, ut nec pes, nec caput uni Reddatur formæ. . . . & placidis coeant immitia. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.*

Exoritur hæc idearum discordia ab exlege motu spirituum, qui animæ imperio non obsequuntur, & feruntur in incertum; imo anima ipsa invita afficitur molestis ideis, quarumvel ipsam pudet; vel ab illis cum horrore abhorret, vel conatur totis viribus à se repellere: nullâ sæpius inter se cohærentiâ istæ ideæ devinciuntur, quòd nervi inordinatè percutiantur. Hæc est animi παθέων mechanica generatio: si tangatur vehementi desiderio objecto fruendi; vel illud odio prosequatur, viribus quasi collectis, singulæ partes corporis seu solidæ seu liquidæ, exagitantur, perturbantur, æstuat vividâ fermentatione sanguis, cœterique liquores, musculos, nervos, membranas anteà torpidas, subit fervidus, & quantùm ferre possunt, vim elasticam ipsarum intendit. Noxia est, lethalis aliquando, vehemens hæc perturbatio, at rationis legibus temperata, salubris.

ANIMI πάθος, quoddam est genus exercitationis, quo temperato, suas corpus rectiùs ac meliùs obit functiones. Amore, spe, iracundiâ, gaudio sanguis fit vegetior & alacrior, subit faciliùs secretiones & excretiones, solidis velociùs vim elasticam exerentibus. Natura nihil molitur ineptè. Quæ παθήματα, corporis functiones promovent, quis negaverit istum in finem fuisse instituta? Rem scrutare altiori indagine: protuberantia annularis, longè in homine, quàm in brutis amplior, spirituum, qui animæ commotæ imperia exequuntur, promptuarium esse videtur; illius motus, statim visceribus ἀταξίας inferunt. Corpora striata inter cerebrum atque ejus appendicem locata, sensuum omnium impetus, & primos motuum localium spontaneorum instinctus suscipiunt. Huc velut in forum publicum à cerebro, si quid anima concupiscat, ab ejus appendice, si extimæ partes afficiantur, spiritus commeant, in nervos statim diffundendi, aut ad animam quid extra corpus agatur relaturi: striæ istorum corporum aliæ ascendunt, aliæ descendunt; unde nervi omnes qui ad sensuum organa interiora spectant, pone corpora striata, exoriuntur. Si quid ergo vehementiùs anima concupiscat, aut odio prosequatur, novus tum spirituum & sanguinis ad intimas & extimas partes corporis proventus allabitur, ambobus ante πάθος placidè fluentibus: spiritus influunt in musculos brachiorum per nervum spinalem, quiconsortio ab ipsa sua origine jungitur cum nervo paris vagi, qui motibus involuntariis præficitur: præficiuntur iisdem & cœtera paria profecta è cerebello. Influunt in musculos vultûs & oculorum qui patethicis 4i, 5i, & 6i paris nervis oriundis à cerebello, in metu, pudore, iracundiâ, mœrore, imo capitis & cordis affectibus, ad animi παθήματα se componunt. Inpudore, vultus rubore suffunditur, quòd ramo 5i paris arctiùs stringente, vasa sanguifera diutiùs in genis sanguis contineatur; hinc basiis amasii libidine pruriunt, ejusdem enim nervi propagines ex genis ad viscera, & pudenda descendunt. Sic totum corpus ad animæ propositum consequendum accommodatur, & singulæ partes vectigal conferunt. Si vires deficiant, lingua mechanicè implorat alienum auxilium, movente processu paris septimi, quod ad paris vagi se ramos inclinat. Tum diffunditur in vultum certa compositio quæ cœteros eodem animi motu commoveat, quo homo ipse afficitur. Pars alia spirituum irruit in cor, pulmones, hepar, per propagines paris vagi, quæ in cordis auriculas, & omnia vasa sanguifera cordi appensa se inserunt; hæc in mensurâ & ratione stringendo, & pulsum promovent, & coercent vehementiores motus animæ, saltem temperant: ramis ejusdem paris vagi circumsepti pulmones, urgent velociùs sanguinem ex uno cordis sinu in alterum: istum in metu & tristitiâ, primo impetu iracundiæ, cohibent pulmones, ut partes extimæ illo defraudatæ palleant. Vix anima concepit, subitò sequitur affectus præcordiorum; vix perturbata est, subitò corpus in actus erumpit, miro consensu & partium cohæsione: posita est ratio miraculi in illâ nervi intercostalis origine quam trahit à nervis 5i & 6i paris: succrescit enim sicut frutex super alio frutice, ita tum propriâ, tum alterius cui innascitur, ramificatione, influxus communes impertitur. Hæc scena luditur in perturbationibus animæ; flectantur legibus rationis ad placidas commotiones, tot in corporis partes, commoda refluent, quot incommoda, si fuerint exleges: languida fermentatio alimentorum in stomacho; ipsa stomachi tritura fiet vegetior, spirituum uberiori proventu allabente per utrumque ramum stomachicum, oriundum à trunco paris vagi; excernetur ex hepate pigrior bilis, tollentur obstructiones, innumeris è glandulis stomachi & viscerum, succus erumpet; natus chylo subigendo, diluendo, atque attenuando, intempestivè & quasi immaturus exploderetur nimio παθήματος impetu: lac nutricis, subitò nimiâ commotione labem contrahit; retinet, gaudii, hilaritatis, placidis motibus, nativam bonitatem; nervulis qui serpunt circa vasa sanguifera, nimium strictis, nimiumve laxatis (funguntur enim officio epistomiorum) invehitur in functiones exitialis & abnormis perturbatio, levi benignâque commotione concussis, & vis elastica solidorum torpescens exstimulatur, & humores qui concrescebant, denuò liquescunt, & secretiones, excretionesque promoventur, & fit uberior tam necessaria corpori, insensilis transpiratio.

SED, inquies, tantam vultui ceterisque partibus afferunt animi perturbationes mutationem, ut etiam placidæ, damnosæ videantur. Partium infernarum constrictis arteriis circa ipsas contortis instar vitis claviculorum, patentibus autem quæ ad caput sanguinem evehunt, totus vultus ignem spirat, micant oculi, volvitur linguâ præter solitum, effunditur inproba & minas; si verò alius se offerat rerum apparatus, alia scena, vincula inferiorum arteriarum constrictarum subitò laxantur, superiorum laxatarum constringuntur: sic vacuo cerebro pallor statim sedet in ore, spirituum penuriâ tremor membra quatit, vires exsolvuntur, fugit spiritus, anhelitus pectus concutit, & tantùm non aufugit anima cum gemitu sub umbras; imo proditum est historiis quosdam gaudio, irâ, mœrore, amore subitò occubuisse. Boni quid speres à tam infido & ancipiti genere exercitationis? fatemur: sed institutione liberali, virtute, sobrietate, sapientium dictis placatur hostis ferox, afferet damnum ingens laxatis habenis, temperatis magnas utilitates. Ne consuescas obsequi affectibus, tibi servient; istis si indulgeas, vile futurus es eorum mancipium. In omnibus ne quid nimis; cibus, potus, somnus, vigiliæ, exercitationes, &c. si vel intempestivè, vel immoderatè usurpentur, damnosæ fient: nihil habent vitii præter istas animi perturbationes: consistit sanitas intra modos & fines quos prætergredi maximè periculosum est. Non, illæsâ, ubi potes impunè, quibus ipsa fovetur, abutaris.

Ergo sunt utiles sanitati, animi motus.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS HIERONYMUS COSNIER Flexiensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1724. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.